

bi, nunc ipse dicam mihi, quod dicturum esse te video. Latrunculis ludimus: in superuacuis subtilitas teritur. nō faciunt bonos ista, sed doctos. Apertior res est, sapere: imō simplicior. paucis opus est ad mentem bonam litteris. Sed nos ut cetera in superuacuum diffundimus, ita philosophiam ipsam. Quemadmodum omnium rerum, sic litterarum quoque intemperantiā laboramus: non vitæ, sed scholæ discimus.

EPIST CVII.

SOLATVR Lucilium & erigit, in fugâ seruorum. Ista & alia in vitam incidere: ideoq; non inopinata esse debere. Patere igitur, quod non emendas. Bona & sapiens Epistola.

VBI illa prudentia tua? vbi in dispiciendis rebus subtilitas? vbi magnitudo? Tam pusilla te angunt? serui occupationes tuas, occasionem fugæ putauerunt. Si amici deciperent, (1 habeant enim sanè nomen, quod illis 2 Epicurus noster imposuit, & ita vocentur) 3 quo turpius